

loca ita vocantur quae instituta ordinataque sunt ad opera pietatis exercenda, sive Deum sive proximum respiciant, proprio et interno regimine pollut, et particulares hominum societates constituunt.

Attamen ex iis quedam privatorum voluntate erecta sunt sine ulla auctoritate ecclesiastica, vel ab ea dependentia; et impropre loca pia nuncupantur. Alia vero et auctoritate ecclesiastica erecta fuere, et ab ea dependent, et proprie loca pia nuncupantur; de ratione essentiali enim piorum institutorum est ut Ecclesiastica auctoritate instituantur et aliquo pacto regantur, cum ea decernere quae vel ad Dei cultum, vel proximorum salutem, aut pietatis incrementum spectant, ad Ecclesiasticam potestatem pertineat. Cum autem in lege poenali versemur, loca pia stricto accipimus sensu. Si quae igitur poenae vel censurae latae pro eiusmodi locorum piorum interno regimine reperiuntur, eae vigent, et incurruunt ab iis qui latae praescriptasque leges et regulas transgrediantur.

Attamen relate ad earum absolutionem advertendum est, eas adhuc absolvvi posse ab iis superioribus, qui ante Constitutionem Apostolicae Sedis eas absolvendi potestate fruebantur. Etenim quamvis in Piana Constitutione revocatae fuerint facultates absolvendi a cen-

sulis Rom. Pontifici reservatis, de illis tamen sermo est censuris quae generales sunt, quibusque fideles quilibet obstringuntur, non de censuris latis pro particularibus Institutis, atque religiosis Ordinibus; has enim in eo reliquit robore, quo erant: *eas omnes firmas esse, et in suo labore permanere volumus et declaramus.* Cum itaque Legislator has ita reliquerit, nec facultates revocaverit, quibus eas absolvendi sive superiores, sive alii fruebantur; et facultas absolvendi a particularibus censuris diversa plane sit ab ea quae conceditur pro absolvendis censuris quae generice feruntur, consequenter etiam revocatio facultatum, non censentur sive superiores Regulares, sive Institutorum, locorumque piorum Rectores privati facultatibus absolvendi ab illis censuris particularibus, quamvis absolutio reservata foret Rom. Pontifici; revocatio enim legitimarum facultatum non prae sumitur, sed probanda est.

Exinde autem nemo inferat eiusmodi superiores absolvere etiam posse subditos ab iis censuris quae in Const. Apostolicae Sedis latae leguntur, si quis eorum subditus eas incurrat. Pro iis enim adest revocatio generalis, neque illae pertinent ad particulares coetus, Ordines, vel loca pia; qua de causa, relate ad has, subditus se habet ut alias fidelis quilibet.

APPENDIX LIX.

De facultatum aut privilegiorum absolvendi a censuris revocatione.

Ut latarum in sua Constitutione cuiuscumque nominis censoriarum reservatio firma considereret Pius Papa IX opportune revocat privilegia et facultates, quibus innixi, Regulares praesertim, etiam ab reservatis S. Sedi censuris absolvere potuissent. Hinc ita prosequitur:

« Ceterum decernimus, in novis quibuscumque concessionibus ac privilegiis, quae ab Apostolica Sede concedi cuivis contigerit, nullo modo ac ratione intelligi umquam debere, aut posse comprehendendi facultatem absolvendi a casibus et censuris quibuslibet Romano Pontifici reservatis, nisi de iis formalis, explicita ac individualia mentio facta fuerit: quae vero privilegia aut facultates, sive a Praedecessoribus Nostris, sive etiam a nobis cuilibet Coetui, Ordini, Congregationi, Societati et Instituto, etiam regulari cuiusvis speciei, etsi titulo peculiari praedito, atque etiam speciali mentione digno a quovis umquam tempore hucusque concessae fuerint, ea omnia, easque omnes Novis, haec Constitutione revocatas, suppressas, et abolitas esse voluntas, prout reapse revocamus, supremus et abolemus, minime refragantibus aut obstantibus privilegiis quibuscumque, etiam specialibus, comprehensis,

» vel non, in corpore iuris, aut Apostolicis Constitutionibus, et quavis confirmatione Apostolica, vel immemorabili etiam consuetudine, aut alia quacumque firmitate roboratis, quibuslibet etiam formis ac tenoribus, et cum quibusvis derogatoriis, aliasque efficacioribus et insolitis clausulis, quibus omnibus, quatenus opus sit, derogare intendimus et derogamus.

» Firmam tamen esse volumus absolvendi facultatem a Tridentina Synodo Episcopis concessam Sess. XXIV cap. VI de Reform. in quibuscumque censuris Apostolicae Sedi hac nostra Constitutione reservatis, iis tantum exceptis, quas eidem Apostolicae Sedi speciali modo reservatas declaravimus.

» Decernentes has litteras, atque omnia et singula, quae in eis constituta ac decreta sunt, omnesque et singulas, quae in eisdem factae sunt ex anterioribus Constitutionibus Praedecessorum nostrorum, atque etiam nostris, aut ex aliis sacris Canonibus quibuscumque, etiam Conciliorum generalium, et ipsius Tridentini, mutationes, derogationes, ratas et firmas, ac respective rata atque firmas esse et fore, suosque plenarios et integros effectus obti-

» nere; sique et non aliter in
» praemissis per quoscumque Iu-
» dices Ordinarios et Delegatos,
» etiam causarum Palatii Aposto-
» lici Auditores, ac S. R. E. Car-
» diniales, etiam de latere Legatos,
» et Apostolicae Sedis Nuntios, ac
» quovis alios quacumque praee-
» minentia ac potestate fungentes,
» et functuros, sublata eis, et eo-
» rum cuilibet quavis aliter iudi-
» candi ac interpretandi facultate,
» et auctoritate, iudicari ac defi-
» niri debere; et irritum atque
» inane esse ac fore quidquid su-
» per his a quoquam quavis aucto-
» ritate, etiam praetextu cuiuslibet
» privilegii, aut consuetudinis indu-
» ctae vel inducenda, quam abu-
» sum esse declaramus, scienter vel
» ignoranter contigerit attentari.

» Non obstantibus praemissis,
» aliisque quibuslibet ordinationi-
» bus, constitutionibus, privilegiis,
» etiam speciali et individua men-
» tione dignis, nec non consuetu-
» dinibus quibusvis, etiam imme-
» morabilibus, ceterisque contrariis
» quibuscumque.

» Nulli ergo omnino hominum
» liceat hanc paginam nostrae Con-
» stitutionis, ordinationis, limita-
» tionis, suppressionis, derogatio-
» nis, voluntatis infringere, vel ei-
» ausu temerario contraire. Si quis
» autem hoc attentare praesumpse-
» rit, indignationem Omnipotentis
» Dei et Beatorum Petri et Pauli
» Apostolorum eius, se noverit in-
» cursum.

» Datum Romae apud s. Petrum,
» anno Incarnationis Dominicæ Mil-
» lesimo Octingentesimo Sexagesi-
» mo nono, Quarto Idus Octobris,
» Pontificatus Nostri anno vigesimo
» quarto ».

M. Card. MATTEI Pro-Datarius

N. Card. PARACCIANI CLARELLI

Visa de Curia

Dominicus Brutii

Lo + co Plumbi

I. Cugnoni

In expendenda hac postrema parte Constitutionis *Apostolicae Sedis*, agemus 1º de revocatione facultatum et privilegorum absolvendi a censuris Romano Pontifice in Constitutione reservatis. 2º. De facultate Episcopis facta absolvendi a censuris Romano Pontifici reservatis ad tramites Capitis *Liceat Sess. XXIV Cap. VI de Reform.* 3º. Demum, si necessarium fuerit, aliquid circa clausulas derogatorias adnotabimus.

CAPUT I.

*De facultatum et privilegorum ab-
solvendi a censuris Romano
Pontifici reservatis revocatione.*

Expositioni huius Capitis initium damus iis quae cl. Petrus Avanzini protulit in suis *Commentariis, Edit. 3 manualis, pag. 98 n. 59:* Vetustissimus est in Ecclesia catholica usus, quo Romana Sedes et

Episcopi quorumdam criminum ab-
solutionem sibi reservant, sive ob
censuram reservatam appositam,
sive nulla censura adiecta; de qua
re in *Sess. 14 De Sacram. Poenit. cap. 7* sic Patres Tridentini sunt
loquuti: *Magnopere vero ad chri-
stiani populi disciplinam pertinere,
sanctissimis Patribus nostris visum
est, ut atrociora quaedam et gra-
viora crimina non a quibusvis, sed
a summis dumtaxat Sacerdotibus
absolverentur: unde merito Pon-
tifices Maximi, pro suprema pote-
state sibi in Ecclesia universa tra-
dita, causas aliquas criminum gra-
viores suo potuerunt peculiari iu-
dicio reservare.*

Hac facultate utitur Romanus
Pontifex in bonum Ecclesiae et fi-
delium, disciplinae ecclesiasticae,
quoad praecipua sua principia, in
suo robore conservandae causa, et
ut fideles gravitatem criminum,
quibus sese aliquando commacu-
lant, magis magisque cognoscant,
eaque detestentur, cum perspi-
ciunt ea et censuris fuisse conse-
pta, et absolutionem supremis Ec-
clesiae Pastoribus reservatam.

Cum autem dum casus reservat,
non vult Romanus Pontifex ut ar-
dua nimis atque difficilis evadat
absolutio, ideo facultates speciales
communicat maiori Poenitentiario,
quas exposuit Benedictus XIV in
sua Constitutione *Pastor bonus* edita
die 13 Aprilis 1744; atque
praeter facultates quae in ea de-
scribuntur, alias quoque eidem pro
rerum supervenientium varietate
Pontifex tribuit; et id ipsum facit
relate ad alterum tribunal quo
christiano nomini propagando pre-
sidet quoad omnes qui in locis
missionum versantur. Per eiusmodi
tribunalia non solum conceduntur
facultates quae pro singulis casibus
petantur, sed dantur quoque Epis-
copis ampliores minoresque, pro
variis in quibus versantur locis,
facultates absolvendi a censuris
S. Sedi reservatis. Etiam Episcopi
et Confessarii obtinere possunt si-
miles facultates; quae quidem ad
tempus determinatum eis conce-
ceduntur.

Hisce praemissis, duo circa re-
vocationes a Legislatore decernuntur;
primo quidem in novis con-
cessionibus quae absolvendi a cen-
suris R. Pontifici reservatis fiunt,
necessario exprimendam esse con-
cessionem facultatis absolvendi a
censuris Sanctae Sedi reservatis,
ut haec intelligatur in concessis
facultatibus comprehensa. *Nisi de
iis formalis, explicita, ac indivi-
dua mentio facta fuerit.* Quae
verba sunt apprime notanda. Ete-
nim per adiectivum *formalis* ex-
cluditur forma consueta, qua ali-
quando conceditur facultas absolv-
endi a censuris; per adiectivum
explicita intelligitur, in facultati-
bus concessis exprimendam esse
absolutionem a censuris reservatis
Romano Pontifici in Constitutione
Apostolicae Sedis. Per adiectivum
individua exprimendum esse a qui-

bus censuris ea in constitutione reservatis siat absolvendi facultas; utrum ex. gr. ab censura lata in *perpetrantes duellum aut in violantes clausuram monialium, aut in reos simoniae realis, confidentialis etc.*, ita ut generica et simplex facultas absolvendi a censuris Romano Pontifici reservatis in Constitutione *Apostolicae Sedis*, non adiecta individua censurarum denominatione, satis non esse videatur ad eiusmodi concessionem demonstrandam; hinc etiamsi detur facultas absolvendi ab omnibus censuris reservatis simpliciter in cit. Const. Romano Pontifici, illae sunt individualiter exprimendae a prima usque ad ultimam.

Huius rei exemplum habemus in Facultatibus quas s. Poenitentiaria concedere solet post latam Constitutionem *Apostolicae Sedis*. In illis enim individua fit mentio illarum censurarum, quarum absolvendarum facultas conceditur. Ex. gr. absolvendi ab excommunicatione Romano Pontifici simpliciter reservata ob manus violentas injectas sive in Clericos sive in Regulares; contra duellantibus; ob violationem clausurae regularium, ob lectionem et retentionem librorum prohibitorum etc. Huius autem ratio esse potuit, quia difficillime Legislator concedere vult facultates absolvendi a censuris omnibus, quas sibi reservavit, sed ab illis tantum quae, habita ratione temporum, locorum, et circumstantiarum fre-

quentius incurruunt, et ideo facultates ab iis absolvendi magis necessariae sunt. Quod de Pio Papa IX evidentiori ratione dicendum est, qui cum censuras limitasset, eorum quas sibi reservavit severiorem esse rationem absolvendi voluit.

Quid ergo si ex. gr. Maior Poenitentiarius alicui concedat facultatem absolvendi a censuris omnibus Romano Pontifici reservatis in Constit. *Apostolicae Sedis*, non expressa individua illarum mentione? Valeretne eiusmodi facultas? Respondeamus, eiusmodi casum difficillime contingere, etiam dato et concesso quod Maiori Poenitentiario a Romano Pontifice facta fuerit eiusmodi facultas. Etenim Maior Poenitentiarius optime novit legem, et illi observanda, non transgredendae, sedulam navat operam.

Attamen si reapse eiusmodi causus contingeret, affirmamus, ita concessas facultates nullius roboris futuras. Etenim Legislator ad valorem facultatum concessarum absolute exigit, ut de censuris quarum absolvendarum conceditur facultas, fieri beat formalis explicita et individua mentio. At in facultatibus in genere concessis haec legislatoris voluntas nullo pacto adimpta fuit; lex ergo violata fuit, una cum conditione necessaria ad valorem facultatum concessarum. Profecto haec Legislatoris verba: *nullo modo ac ratione intelligi umquam debere aut posse com-*

prehendi etc. nisi etc., excludunt quamlibet mitiorem aut contrariam interpretationem. Etenim nedum excludunt factum, sed etiam possibilitatem factae concessionis.

Hisce circa novas facultates post Constitutionem *Apostolicae Sedis* concedendas decretis atque constitutis, Legislator ad revocandas facultates iam concessas sese convertit; easque omnes etiam sub privilegiorum nomine *civilibet Coetui, Ordini, Congregationi, Societati et Instituto etiam regulari cuiusvis speciei etc.*, sive ab ipso Legislatore, sive a praedecessoribus Pontificibus concessas revocat, et sua Constitutione revocatas, suppressas, et abolitas esse vult, quavis firmitate roboratae forent. Ideoque facultates illae ante Constitutionem *Apostolicae Sedis* concessae nullius roboris sunt aut esse de cetero possunt. Duo tamen hoc in loco sunt advertenda. 1º quidem Legislatorem non loqui de facultatibus personalibus, quae scilicet alicui particulari personae concessae fuerant peculiari de causa, sed de facultatibus realibus concessis ordinibus et Institutis quibuslibet sive regularibus, sive saecularibus; con-

sequenter facultates personales, non obstanti eiusmodi revocatione, integras et intactas permanere.

Quod nedum ex verbis Constitutionis intelligimus, sed etiam ex sequenti declaratione s. Poenitentiariae. Cum enim ad eam propositum fuisset dubium: « An Praelati » Regulares post Constitutionem » *Apostolicae Sedis* iisdem privilegiis gaudent quibus antea, id » est possint, nec ne, suos subditos absolvere a casibus papalibus » in dicta Constitutione simpliciter » reservatis? »

Sac. Poenit. die 5 Decemb. 1873 respondit: Negative, salvis illis facultatibus, quae promanant ex rescriptis particularibus ad tempus concessis (1).

Ergo 1º post Const. *Apostolicae Sedis* Praelati regulares non possunt absolvere suos subditos, multo minus extraneos, a censuris simpliciter Romano Pontifici reservatis in dicta Constitutione.

2º Eos tamen possunt absolvere vi facultatum, quae promanant ex rescriptis particularibus. Hae qua de causa particulares facultates integræ manent (2).

Alterum quod observare debe-

(1) Acta S. Sedis Tom. IX, pag. 314.

(2) Idipsum declaratum fuerat per Supremam Inquisitionem die 15 Iunii 1870. « Itaque decreverunt (Eminentissimi Inquisitores): Per Constitutionem Sanctissimus Pater nullatenus intendit, ne minimum quidem detrimentum inferre facultatibus cuiuscumque indolis, quae a S. Sede ante promulgationem eiusdem Constitutionis concessae fuerint, sive hae quinquennales sint, sive extraordinariae, sive resipientes praesens Jubilacum; atque vult, ut in suo pleno vigore permaneant, tempore perdurante in dictis concessionibus sive Indultis praefinito ». Acta S. Sedis Tom. VI, pag. 433.

mus est, per eiusmodi revocationem revocatas non esse facultates concessas sive Praelatis regularibus, sive Institutorum piorum Rectoribus, sive aliis ad Ordines et Instituta illa pertinentibus absolviendi a censuris quamvis R. Pontifici reservatis quae latae fuerunt pro eorum interno regimine, ut in superiori diximus Appendix.

Animadvertisendum demum putamus; quod si quis temerarius ab eiusmodi Romano Pontifici simpliciter reservatis censuris extra casum necessitatis absolveret, peccaret quidem graviter, et absolutio nulla foret; attamen nullam exinde excommunicationem incurreret, cum haec lata fuerit in praesumentes absolvire a censuris Romano Pontifici speciali modo reservatis: nec lex penal is extendi potest de casu in casum. At circa eiusmodi reservationes legantur quae etiam scripsimus *Comm. Nost. Tom. 1 pag. 437 seqq.*

CAPUT II.

De Facultate Episcopis facta absolvendi a censuris R. Pontifici simpliciter reservatis.

Concessionem eiusmodi Pius Papa IX fecit Episcopis ad tramites Cap. *Liceat Sess. XXIV cap. VI de reform.* His porro verbis Caput illud Tridentini Patres tulere: « *Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus et suspensionibus, ex dilecto occulto provenientibus, ex-*

» *cepta ea, quae oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare, et in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicae reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos in dioecesi sua per seipso aut Vicarium ad id specialiter deputandum in foro conscientiae gratis absolvere, imposita poenitentia salutari. Idem et in haeresis crimen in eodem foro conscientiae eis tantum, non eorum vicariis, sit permissum ».*

Pius Papa IX loco superius recitat hanc facultatem firmam esse voluit in quibuscumque censuris Apostolicae Sedi per Constitutionem suam simpliciter reservatis, exceptis speciali modo eidem Apostolicae Sedis reservatis. Qua de causa Episcopi absolvire possunt nedum in excommunicationibus, sed etiam in suspensionibus et interdictis simpliciter reservatis; inquit enim: *in quibuscumque censuris.*

Cum dispensatio eiusmodi sit actus iurisdictionis non indigens consecratione, concedi poterit ab Episcopo electo et confirmato, quamvis nondum consecrato, excepta tamen dispensatione ab irregularitate proveniente ex delicto occulto quoad suspicionem et ministracionem Ordinum, quam unus Episcopus consecratus concedere potest. Confer Fagnanum *ad Caput XXXII Cum illorum de sent.*

excom. n. 31. Nemo tamen putet, episcopi nomine unum proprieditum Episcopum quamvis nondum consecratum venire; etenim sub eo venit etiam Vicarius Capitularis, ad quem privative transit iurisdictionis Episcopalis, et ipsum etiam venit Capitulum infra illos octo dies ab

(1) Alterius, *De Suspensionibus Tom. II, pag. 133 Col. 1* contrarium censet: Sribit: « Ex eodem fundamento infertur, Capitulum Ecclesiae cathedralis uti non posse hac iurisdictione dispensandi Sede vacante; licet enim Capitulum succedat, in iurisdictione episcopali, tamen non succedit in facultate dispensandi in casibus specialiter concessis ex iure Episcopis, nisi ipsum ius, vel consuetudo legitime praescripta ita declarat hanc Episcopi facultatem, quia illud privilegium est concessum soli Episcopo privative quoad omnes alios; ergo excludit etiam Capitulum Sede vacante; Capitulum enim per se succedit solum in ordinaria Episcopi iurisdictione. At haec facultas dispensandi convenit Episcopo non iure ordinario, sed extraordinario ».

Sed ad haec notamus 1^o. quaestionem in eo versari; an sub Episcopi appellatione veniat unus tantum Episcopus proprius dictus; hinc probatione indiget propositi: *illud privilegium est concessum soli Episcopo privative.* 2^o. Cum eiusmodi facultas in iure relata sit, de ordinaria facta est Episcoporum facultate; et absolutio a censuris generice loquendo est actus iurisdictionis, haec autem ad Capitulum, per Vicarium Capitularem integra transit. 3^o. S. Congregatio Concilii non semel rescripsit: Episcopos vigore Cap. VI Sess. XXIV de Reform. non posse absolvire nec dispensare in casu haeresis, neque in aliis nova lege (Bulla Coenae) post Concilium Sedi Apostolicae reservatis. Verum in his casibus, in quibus Episcopis talis facultas non est adempta, eam utique transferri in Vicarium Capitularem, Sede Episcopali vacante. In Cremonen. 4 Decembr. 1632. Ad formam reolutionis Cremonen. resolutum fuit in s. Severinae 18 Jun. 1796. *Ita in Declarationibus et Resolutionibus ad s. Cone. Trid. Edit. Neapol. 1859.* Ergo facultates Episcopis factae in Cap. *Liceat ad Capitulum et Vicarium Capitularem transeunt, ni per alia Pontificia decreta revocatae fuerint.*

(2) De hisee ita s. Alphonsus VI, 393. « Eamdem facultatem habent Vicarii Capitulares Sede vacante, ut dicunt communiter Sanchez etc. An autem eamdem facultatem habeant Abbates et ali praelati habentes iurisdictionem quasi Episcopalem? Negant Concina, Barbosa, etc., ex quadam declaratione S. C. ubi dictum fuit: *In hoc decreto Tridentino non comprehenduntur habentes iurisdictionem ordinariam et quasi episcopalem, sed tantum Episcopi privative quoad omnes alios.* Ratio quia talis facultas specialiter Episcopis est concessa, et in concessionibus stricte interpretatio facienda est. Affirmant vero Sanchez, Salmant, Fagnanus etc. Ratio, tum quia, ut probat Fagnanus, nomine Episcoporum veniunt etiam Prae lati qui habent iurisdictionem quasi Episcopalem privative ad Episcopos; tum quia quando concessio facta est in iure, habet rationem legis, quae extendi debet ad omnes casus ubi eadem ratio currit; eadem autem ratio procul dubio currit pro Episcopis quam pro huiusmodi praelatis, quia alias eorum subditi non habe-

Abbates relate ad Dioecesanos tantum eiusmodi facultate pollut, non autem relate ad suos subditos Monachos; etenim quoad hos se habent uti alii Superiores regulares, quibus post Const. *Apost. Sedis* adempta est facultas absolvendi suos subditos a censuris quibuslibet Rom. Pontifici simpliciter reservatis. Hac pariter facultate non gaudent Cardinales in Ecclesiis suis titularibus, quod a Gregorio XIII decretum Fagnanus affirmat. Anmadvertere etiam oportet, Episcopos regionum, in quibus Concilium Tridentinum receptum non fuit, nullo pacto gaudere facultatibus concessis in cit. Cap. *Liceat*. Cum enim decretum illud non acceptaverint, nec eo frui possunt. De cetero Fagnanus in *Cap. Dilectus 15 De temp. ordin.* id a s. Congr. Concilii declaratum fuisse affirmat: *Ex sententia s. Concilii Episcopi illarum regionum, in quibus Concilium adhuc receptum non est, non posse uti facultate in hoc Decreto concessa.* Apud s. Alphons. VII, 80. Atque eandem declarationem ad idem demonstrandum allegat Benedictus XIV *De Synodo Dioeces. lib. IX cap. V n. 2*; haec subdens: « Evidem cum facultas ab-

» rent ad quem recurrerent pro absolutione praedictorum casum. Neque obstat, ait Sanchez, *Declaratio s. Congregationis*, quia de ea non constat authentice. An Praelati regulares hanc facultatem in subditos? Affirmat Sanchez... ob Bullam s. Pii V. Sed negat Croix ex Decr. S. C. et Mendo confutat dictam Bullam. Quidquid tamen de tempore ante promulgatam Pii IX Constitutionem fuerit, certum nunc est ex s. Poenitentiariae decreto, Praelatos regulares non posse absolvere suos subditos a censuris Romano Pontifici reservatis ».

» solvendi ab haeresi occulta, unice
» ex Concilio Tridentino in Episco-
» pos dimanaverit, non potuit illam
» participare, qui Tridentino adi-
» tum in suam Dioecesim occlusit;
» neque aequum est ut id com-
» modi ex Concilio reportent, qui
» eius onera subire detrectant ».

Eiusmodi sed vero Benedicti XIV verba ad aliam quaestionem dirimendam nos compellunt. Certum est, per reservationem criminis haeresis factam in Bulla coenae derogatum esse Cap. *Liceat*, ita ut, huius vi, non possent de cetero Episcopi absolvere ab occulto haeresis crimen. Quod praeter Benedictum XIV loc. cit. Cap. IV, n. VII docent, et demonstrant alii plurimi ab ipso citati, atque etiam doctissimus Giraldi *Expositio Iuris Pont. Tom. II pag. 1005 Sect. 132*. Quid ergo post Pianam Constitutionem circa eiusmodi quaestionem decernendum est? Rediit ne ad Episcopos eiusmodi facultas absolvendi per seipso ab eiusmodi occulto haeresis crimen, vel adhuc ea privati censendi sint?

Respondemus, per Constitutionem *Apostolicae Sedis* ad Episcopos eiusmodi facultatem rediisse; primo quidem quia Pius Papa IX,

nulla facta exceptione, primam esse vult facultatem absolvendi Episcopis in cit. Cap. concessam. At in cit. Cap. expressis verbis conceditur Episcopis: *Idem et in haeresis criminis in eodem foro conscientiae eis tantum non eorum vicariis sit permisum.*

Facultas absolvendi ab haeresi occulta Episcopis concessa per Cap. *Liceat* abrogata fuerat per Bullam in coena Domini legi solita. Sed per Constitutionem *Apostolicae Sedis* de ea Bulla tantum viget, quantum in praedicta Constitutione insertum est. Cum igitur in Const. *Apostolicae Sedis* nullo pacto reservata sit speciali modo Romano Pontifici facultas absolvendi ab haeresi occulta; in integrum restituta dicenda est Episcopis facultas concessa absolvendi ab haeresi occulta per Caput *Liceat*.

Legislator ad tramites Capitis *Liceat* concedit Episcopis facultatem absolvendi a quibuscumque censuris in sua Constitutione reservatis, iis tantum exceptis, quas eidem *Apostolicae Sedi* speciali modo reservatas declarat: Atqui inter censuras speciali modo reservatas adest tantum lata in apostatas a fide catholica, et manifestos haereticos, atque in legentes eorumdem haereticorum libros haeresim propugnantes; quibus sub nominibus non veniunt haeretici occulti. E contra inter censuras simpliciter reservatas adest prima qua excommunicant docentes vel defendantes

sive publice, sive privatim propositiones ab Apostolica Sede damnatas sub excommunicationis pena latae sententiae. At inter propositiones huiusmodi quaedam sunt prorsus haereticæ et uti haereticæ damnatae; ergo qui aliquam ex hisce propositionibus doceret esset manifeste haereticus. Cum igitur Episcopis fiat facultas absolvendi ab omnibus censuris Romano Pontifici in Constitutione *Apostolicae Sedis* reservatas ad tramites Cap. *Liceat*, fit certe facultas absolvendi illos haereticos, qui occulte docuere aliquam propositionem haereticam ab Apostolica Sede damnata.

Quid ergo si docuerit aliquem alium errorem ab Apostolica Sede directe non damnatum, sed ab aliquo Concilio?

Resp. Hic vel pertinet ad aliquam sectam haereticam; et hoc in casu comprehenditur sub cap. I tit. 1, vel ad nullam haereticam sectam pertinet, et docuit vel occulte, vel publice: Si publice, absolvendus est ab Rom. Pontifice; si occulte, absolvi potest ab Episcopo; etenim si Episcopus potest absolvere haereticum defendantem occulte propositionem haereticam ab Apostolica Sede damnatam, quid ni alias dummodo non pertineat ad aliquam haereticam sectam?

Exinde Episcopi absolvere etiam potuissent ab censuris occultis incursis ob Simoniam in ordine, in qua Xistus V Const. *Sanctum et*